

mentum, sed forte rigorem Mosaicum nimium redolens, a quo ipse Salvator recessisse videtur *Luc. 14. vers. 5.* Nostris itaque moribus † restituta quasi videtur lex Constantini, quam etiam apud Delphenses & reliquos Gallos obtinere testatur *Grænew. ad b. t.* sed non aliter, nisi reliquis diebus fieri nequeat: Indistincte enim ut hoc probem, tantum abest, ut Sabbathi profanatores severissime coerendos existimem. *Vid. Carpz. Jpr. Consist. lib. 2. D. 251. n. 10. Alber. Gentil. 1. de nupt. c. 6. Balduin. de Caj. conscient. c. 13. cas. 5.* Huc pertinet Casimiri, Marchionis Brandenburgensis Decretum apud Hordlederum de causis belli Germani *lib. 1. c. 3.* in hæc verba: Doch mag und soll ein jeder Pfarrer sonderlich zu Sommer-Zeiten, und so unstet Wetter ist, dem gemeynen Mann sagen, daß er nach geschehener Predigt und Göttlichen Dienern, die auch die Pfarrer nach Gelegenheit desto zeitlicher halten sollen, an seine Arbeit, zu Einbringung des Heues, Grommets, Korns, Habern, Weins, oder andern Früchten gehen und thun möge, ohn einig Beschwerung seines Gewissens, doch auf daß hierin kein Frevel, Verachtung oder Muthwill gebraucht werde, *Confer. Oldendorp. ad LL. XII. tab. tit. 1. c. 4. Felix Hämmerlein, in tr. de arbore torculari ducenda in die festo.*

PALMES III.

Vindemiaturis † prospectum est de apto non solum ^I tempore, sed etiam ut commode & quiete labores suos peragere possint, dies illi nefasti effecti sunt. Quid vero si ipso tempore vindemiæ uvas colligere prohibeor, aut alio modo in possessione turbor? In tali casu consulendus iterum est Julianus, qui *in l. 25. ff. de A. E.* ita respondit: *Qui pendentem † vindemiam emit, si uvam legere probibeatur* ²

D 3

a ven-